

**§. 9.** *Studiosus de alibi gestis conventus in loci studii domum revocandi jus habet,*

*Confiliarii principis tantum officii ratione, & Mercatores tantum mercium gratia alicubi degere presumuntur, nisi de domicilio aliundè constet.*

*Qui duo habet in utrolibet conveniri potest.*

*Impubes furiosus, domicilium non mutant nisi manifestè.*

*Uxor sequitur domicilium mariti, etiam in dote repetenda ubi ubi pròmissa sit. Retinet idem post mortem mariti.*

*Filius fam. ipse sibi aliud, à paterno, domicilium, si pubes, constituere potest.*

*Servus ut servus sequitur domicilium Domini, etiam fugitivus.*

*Liberatem possidens, ubi commoratur, convenitur.*

*Famulantes hodiè sunt liberi: fruuntur tamen privilegiis Dominorum privilegiatorum communicabilibus.*

**§. 10. Domicilium**

1. *conservatur, Animo etiam solo. Hinc ob pestem, bellum fugiens, relegatus, servant domicilium*

2. *mutatur Animo & Corpore: Animus probandus est ut supra:*

*Si cætera sunt paria, ubi X. annos quis vixit, ibi putatur, habere domicilium.*

*Mutans inter migrandum est sine domo.*

**§. 11. Domicili forum** patet omni actioni, etiamsi res alibi sita sit, præter negotiorum gestorum, quorum ibi, ubi gesta sunt, ratio reddenda.

*Non transit ad hæredes nisi continuent actionem testatoris.*

*Uno foro electo post citationem non licet variare.*

**§. 12. Vagabundus**, ubi reperitur, convenitur. Citatur etiam editaliter, cum primis ubi fundum habet.

§. 13.